

Franckesche Stiftungen zu Halle

Conspectus Chirurgiæ Tam Medicæ, Methodo Stahlina Conscriptæ

Juncker, Johann

Halæ, MDCCLVII.

VD18 90812107

Tabula XXVII. De Procidencia Uteri.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197684

det, esse hanc operationem intricatissimam & periculo plenissimam.

9. In *adultis* hydrocephalus *externus* melius tolerat incisionem, quam *internus*, licet & in tali casu non omne periculum absit.
10. Operatio fit *lanceola* aut *tuba cannulata*, vulgo *trocar* dicta, quam in paracentesi pectoris & abdominis adhibere solent.
11. Incisio in loco *declivi* instituenda, & aqua non simul, sed per aliquot dierum intervalla evacuanda est.
12. Ante operationem omnis nervus intendatur, ut per *fotus* aut *cataplasmata* discutientia & nervina discussio obtineri, & ita operatio chirurgica pratermitti possit.
13. Quando cranii ossa non dehiscunt, & aquæ sub illis latent, non alia, quam *trepanationis* operatio locum habet.
14. Si sub *dura matre* collectio serosa hæreat, illa per punctiorem incidenda est cum *lanceola*, *plumaceolo* involuta.
15. Quod si vero in *ventriculis* cerebri secessio facta sit, neque *incisio* neque *punctio* locum habere videtur.
16. In hydrocephalo externo *incipiente*, vel si levior humoris extravasati pressio futuras a se invicem dimoveat, fascia, *la capelline* Gallis dicta, usum præstat. Quando autem ulterius tumor progressus est, fascia hæc nullam habet utilitatem.

TABULA XXVII.

DE

PROCIDENTIA UTERI.

I. DIFFERENTIA.

1. Uteri prolapsus diversis sui gradibus considerandus est.
 - 1) Vel enim uterus intra *vaginam* tantum prolabitur, & tunc vocatur uteri *descensus*, germ. *Senckung der Mutter*, qui iterum suos habet gradus.
 - a) Modo enim *leviter* tantum descendit, ita ut solo pondere molestiam in illa regione creet.
 - b) Mo-

- b) Modo ad *extrema* vaginæ usque prolabitur.
- 2) Vel uterus *extra* pudenda prominere, german. Sturz der Mutter, quæ præcipitatio speciatim prolapsus dicitur, & duplici modo contingit:
- a) Nunc enim uterus prolabitur sine *inversione*, & tunc orificium ejus internum conspicitur.
- b) Nunc *inversus* est uterus, & tunc instar molæ carneæ, quæ caput majoris infantis refert, intra femora propendet, ac ferum cruentum e poris & vasis illius profluit.
2. Ad uteri procidentiam, late sumtam, refertur etiam *vaginæ* prolapsus, qui iidem suos habet gradus. Præterea vagina modo *sola*, modo *cum utero* prolabitur. Sola quando prolabitur vagina, tumorem minorem, mollem, instar intestini globosi, exhibet, & interna sui parte saccum refert.
3. Cum prolapsu uteri non confundendæ sunt *excrescentiæ* illæ carnosæ, quæ e vagina uteri sæpius prominent, & non raro in magnam molem excrescunt. In hac diagnosi decipiuntur nonnunquam peritissimi, tam Medici, quam Chirurghi.
4. Posuimus quidem hanc differentiam ad mentem tam veterum quam modernorum auctorum: docet autem experientia a posteriori & consideratio anatomica a priori, quod *ipsius uteri* prolapsus rarior, *vaginæ* autem frequentior occurrat. Quare ea, quæ de uteri procidentia passim dicta sunt, angustis hisce limitibus inclusa volumus; quocunque etiam modo patroni frequentioris prolapsus nexum anatomicum præfigurare sibi allaborent.

II. CAUSSÆ.

1. Causa *proxima* prolapsus uteri num semper sit *relaxatio* partium ligamentosarum, vel etiam interdum *dissolutio*, Criticis decernendum relinquimus.
2. Qui *dissolutionem* admittunt, sequentem de uteri prolapsu sibi formant nexum causalem:
- 1) Si vaginæ nexus fibrosus, quem cum partibus vicinis habet, in illo duntaxat loco dissolvitur, ubi ipsi utero proxima est, tunc uterus cum aliqua tantum colli parte, eaque inversa, intra sinum muliebrem descendit.
- 2) Quando autem universus colli tractus a partibus adjacentibus avellitur,

litur, tunc uterus non inversus cum collo inverso extra pudenda prominet.

3. Sic & *solius vaginæ* prolapsus derivant
 - 1) Modo a separatione illius portionis, quæ pudendo proxima est.
 - 2) Modo a secessione interioris portionis ab exteriori.
4. Causæ *occasionales*, quæ uteri descensum & prolapsus inducere possunt, permultæ sunt, inter quas præcipuum locum habet *partus difficilis*.

III. PROGNOSIS.

1. *Prolapsus* uteri, strictè dictus, seu *precipitatio*, difficilior restituitur, quam illius *descensus*; difficillime omnium, si uterus *inversus* probatur.
2. In *vetulis* & *gravidis* omnia sunt graviora, quam in junioribus, & extra graviditatis tempus constitutis.
3. Quando prolapsus a causa *violenta externa* inducitur, e. g. a rudi obstetricis tractatione, aut magnis in partu conatibus, tunc majorem in curatione involvit difficultatem, quam si a causis internis sensim productus sit.
4. Quando uterus prolapsus aëri diu exponitur, vel femorum occursum multum comprimitur, facile inflammatio, gangræna, sphacelus & mors superveniunt; vel ulcera fœtida inducuntur.
5. Si connexio, quam uterus cum partibus vicinis habet, valde labefactata sit, curatio tantum *palliativa* locum habet.

IV. METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.

Cura duplici scopo absolvitur:

1. *Repositione* seu *reductione*, quæ sequente modo obtinetur:
 - 1) Ægra supine collocatur, cruribus elevatis ac poplitibus re-
flexis.
 - 2) Uterus prolapsus conveniente fomentatione fovetur.
 - 3) Linteum duplicatum molle admovetur, & hoc uterus tam diu
premitur, donec in situm suum naturalem fuerit reductus.
 - 4) Quod si vero vagina ita intumuerit, ut reductio impediatur,
decocto emolliente humectetur, ne inflammatio & gangræna ac-
cedant.

Z

5) Quan-

§) Quando autem corruptio gangrænodea, in sphacelum ruens, jam præsto est, nullum aliud remedium, quam *extirpatio*, locum habet; quæ licet valde anceps sit, felici tamen successu institutam esse, auctores quidam testantur. Sequentia autem de illa administranda monent:

- a) Ut *excisio* ita fiat, ne portio quædam corrupta restitet.
- b) Ut *ligaturæ* debito modo fiant & constringantur.
- c) Coronidis loco *cauterium actuale* commendant.
- d) Sed quis non videt difficultates & pericula, quæ hanc operationem circumdant.

2) *Retentio* quæ obrinetur

- 1) Vel *sola quiete* & decubitu in dorso, per octo aut novem dies, imprimis in juvenculis, quæ sunt bonæ constitutionis.
- 2) Vel *medicamentis*, externe applicatis, nempe *suffimigiis*, & injectionibus uterinis, atque pulveribus adstringentibus, nervinis. Laudant in hoc casu
 - a) Fumum *stercoris bovini*, carbonibus injecti.
 - b) Corticem *granatorum*.
 - c) Nuces *cupressar.*
 - d) Poma *gallarum*.
 - e) *Equisetum* & *alumen* in aqua ferrariorum aut vino austero decocta.
 - f) *Aquam Hungaricam* cum lapide *medicamentoso* agitatum, & decocto adstringente mixtum.
 - g) *Pulverem sympatheticum* cum spiritu vini *camphorato* & *salis*, vel decocto adstringente in forma fomenti aut injectionis admotum.
 - h) *Pessos* e bombace vel linteis contortis factos, & decocto quodam adstringente madefactos.
 - i) *Emplastra catagmatica*, inguinibus & hypogastrio admovenda.

3) Quando autem moles uteri hisce remediis non potest retineri, aut ægra situm hunc diu servare recusat, *pessaria german.* *Krankelein*, in usum perpetuum vocanda sunt.

- a) Parantur e *subere* aut alio ligno leviori, item ex *ebore*.
- b) Variæ sunt *figure*; præferuntur autem, quæ habent *triangularem* & *oblongam* figuram.

a) In

- c) In medio sunt perforata, ut menses fluere possint.
- d) *Funiculo* debent esse prædita, quo, si visum fuerit, extrahantur.
- e) Quando e lignis parantur, ceræ liquefactæ, cui mastix, succinum & asfa fœtida mixta sint, injiciantur, ne corrumpantur, aut asperitate sua lædant.
- f) Ad uteri cervicem usque immittuntur, & per totam, si opus sit, vitam gestantur.

V. CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

1. Ante repositionem uteri considerandum est, num ordinariæ *excretionēs alvi & urinae* successum habeant. Sin secus, promovendæ sunt, & quidem per *clysterem* emollientem, leniter carminativum. Alvus enim quando hac ratione aperta est, *urina* sponte succedere solet.
2. A *purgantibus* autem & *stimulantibus* prorsus hic abstinendum.
3. *Oleosa & pinguedinosa*, quando adhibita fuerunt, ante repositionem bene abstergantur, ne uterum reductum ad novum prolapsum procliviores reddant.
4. Ex eodem fundamento manus Chirurghi, uterum reponentis, quando per pingua inungitur, tantam, uti vulgo creditur, non adfert utilitatem.
5. *Suffragia & injectiones uterinae*, quæ ad novum prolapsum cavendum applicari solent, si fluxus mensium vel lochiorum adsit, in tempus commodum differantur, & interea quæta corporis continentia fervetur.
6. Ab *adstringentibus* multis & crudioribus, externe applicandis, abstinendum est. *Internus* illorum usus majorem adhuc requirit circumspeditionem. Hinc parcissime debent propinari *sang. dracon. osteocoll.* & quæ præter hæc interne commendari solent.
7. *Roussetus* libr. VI. cap. 5. *de partu Cæsareo* autumat, quod *peffaria* intra ipsum uteri fundum ingeri, & ibidem retineri debeant; cui vero sententiæ plures obstant rationes.
8. *Sterilitatem* per *peffaria* non induci, experientia passim confirmat.
9. In *gravidis*, quando ultimis præcipue mensibus, uteri *descensus* observatur (quod non ita raro evenit) *subligaculo* abdomen & uteru